



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

61 Opera auctorum damnatorum nullo modo recipi debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

non confidit, etiam post abjuramentum: vel pertinaces, ac pluribus aliis casibus, de quibus in eodem. *Direct. Inquis. par. 2. quest. 58. Pegna ibi quest. 83. per totum.* Et licet parum referre videatur, dummodò poena mortis plectantur, an gladio, igni, vel alio supplicio interficiantur, ut per Alphons. *61* *Cast. de just. haeret. punit. lib. 2. cap. 12.* regulariter tamen haeretici in eorum mala opinione pertinaces, vivi in conspectu hominum sunt comburendi. *Hostenf. in cap. ad abolendam, de haeret. Jul. Clar. in pract. crimin. §. haeresis, in vers. scias tamen, & Covar. lib. 2. var. resolut. cap. 10. numer. 10.*

Si autem poenitentiam egerint, licet post sententiam, & mortis tempore eis ministrantur sacramenta poenitentiae, & Eucharistiae, etiamsi pluries fuerint relapsi, *62* laqueo suspenduntur, deinde mortui igne cremantur. *Covar. dict. nu. 10. vers. tandem in Hispania. & cap. super, de eodem de haeret. in 6.*

*54* Firmissimè enim est tenendum, & *63* nullatenus dubitandum, omnem haeticum, vel schismaticum cum diabolo, & angelis ejus aeterni ignis incendio participare: nisi ante finem vitae catholicae fuerit incorporatus, & reintegratus Ecclesiae, Et omni homini, qui Ecclesiae Catholicae non tenet unitatem, neque baptismus, neque eleemosyna, quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine CHRISTI suscepta *63* proficere poterit ad salutem. *Augustin. in libr. de fid. ad Petr. Diac. relat. in cap. firmissimè tenet extr. de haeret. & per Aimeric. in eodem Director. Inquisitor. part. 2. cap. 3.*

*60* Ultra poenam mortis, & plures alias poenas haeticus incurrit, infamiae, & me-

motiae, quae damnatur, quia damnato auctore, damnantur ejus scripturae, libri, & opera, ut *capitulo fraternitatis, eodem tit. de haeret. & Pegna in eadem 2. par. Director. Inquisitor. comment. 3. vers. primum damnato.*

Ita, & quod opera auctorum damnatorum nullo modo recipi debent, neque uti, auctorizabilia, neque tanquam rationabilia; quoniam indistinctè haeticorum libri sunt damnati, & sub poena excommunicationis prohibiti, in Bulla Cœnæ Domini, ut per *Graff. decis. aur. par. 1. lib. 4. c. 18. num. 40. & in indice, lib. Clem. papa VIII. reg. 10. vers. quod si quis;* Quae procedunt, etiamsi libri haeticorum multa bona contineant, quoniam periculum est non leve, ne inter utilia haereses latitent, cum haeticorum mos & sit bona multa docere, ut falsa facilius persuadeant. *Hofst. in dict. capitulo fraternitatis, num. 1. & Pegna in eodem Director. Inquisitor. dict. comment. 3. vers. rursus idem.*

Scientes & autem, animoque deliberato haeticorum libros, vel cujuslibet auctoris scripta propter haeresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata legentes, habentesve, ipso jure in excommunicationis poenam incidunt; eamque ob causam in eos, tanquam de haeresi suspectos inquiri, & procedi licet, ut in *litteris Pij IV. in Bull. Roman. c. 99. vers. si quis autem.*

Quae suspicio est levis, vehemens, aut violenta, secundum qualitatem personarum, & circumstantiis consideratis, de quibus per *Pegna m. d. comment. 2. vers. an hac suspicio,* ubi de qualitatibus librorum, & poena, qua plecti debent libros damnatos retinentes, *per tot. & comment. 1. 2. eadem par. 2.*